



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1838**

XIII. Des Pabstes Bonifaz Auftrag an den Dechanten des Collegiat-Stiftes zu Stendal Johann von Möllendorf, Havelbergschen Domherrn, nach vorheriger Prüfung seiner Fähigkeiten im Lesen, Schreiben und ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54294](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54294)

kirchlichen Banne gethan ward und die Kirchen nach der Ausföhnung neu geweiht werden mußten. In einem ungedruckten Commissionsrecesse v. J. 1527 werden Domcapitel und Stadt wegen der Fischerei auf der Havel, der Lanke am Mühlenholz, der Talschwiese und der Lehmkuhle also vertragen, daß das Capitel der Stadt die Fischerei in der Havel vom Sperlingsberg bis Dalen nachgab, die Fischerei in der Lanke am Mühlenholz dagegen sich vorbehielt, daß rüchichtlich der Talschwiese eine gemeinschaftliche Benutzung seitens der Stadt und des Capitels festgesetzt, nur die Eichenholzung dem Capitel reservirt und in Ansehung der Lehmkuhle die Bestimmung getroffen wurde, das Capitel solle der Stadt an Stelle des bis dahin zur Lehmkuhle benutzten Ortes einen andern Platz zum Lehmgraben anweisen. Alt. Lehnbuch Bl. 82.

XIII. Des Pabstes Bonifaz Auftrag an den Dechanten des Collegiat-Stiftes zu Stendal Johann von Möllendorf, Havelbergischen Domhern, nach vorheriger Prüfung seiner Fähigkeiten im Lesen, Schreiben und Singen, zum Probst des Domcapitels zu bestellen, v. J. 1393.

Bonifacius episcopus servus servorum dei Dilecto filio Decano ecclesie sancti Nicolai Stendaliensis halberstadensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur et congruum, vt de illis se reddat sedes apostolica graciosam, quibus ad id propria uirtutum merita laudabiliter suffragantur. Cum itaque hodie ecclesie havelbergensis tunc pastore carenti de persona dilecti filii Ottonis Electi havelbergensis auctoritate apostolica duxerimus prouidendum preficiendo ipsum in Episcopum & pastorem et propterea Prepositura eiusdem ecclesie, quam idem Electus tempore prouisionis & protectionis huiusmodi obtinebat prout obtinet, per huiusmodi promocionem et munus consecracionis suscipiendum per ipsum uacare speretur, nos uolumus dilectum filium Johannem Mollendorp, canonicum eiusdem ecclesie Premonstratensis ordinis, apud nos de religionis zelo, uite ac morum honestate aliisque probitatis et uirtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu fauore prosequi graciosio ipsumque in eadem ecclesia amplius honorare, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si per diligentem examinacionem eundem Johannem bene legere, bene construere et bene cantare et congrue loqui latinis uerbis et alias ydoneum ad ipsam Preposituram obtinendam esse repereris uel eciam si idem Johannes non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret ad sancta dei Euangelia, quod infra annum a tempore examinacionis huiusmodi computandum bene cantare addiscet, super quibus tuam conscientiam oneramus, dictam Preposituram, que dignitas curata et maior post pontificalem in eadem ecclesia existit et ad quam quis per electionem consueuit assumi, cuiusque fructus, redditus et prouentus decem et octo marcharum argenti puri secundum communem estimacionem ualorem annum, ut ipse Johannes asserit, non excedunt, cum illam ut prefertur uel alio quouis modo preterquam per dicti ottonis Electi obitum uacare contigerit, eciam si actu ut premittitur uel alias quouis modo uel ex alterius cuiuscunque persona seu per constitucionem felicis recordacionis Johannis pape XXII. predecessoris nostri que incipit Execrabilis uacet, eciam si tanto tempore uacauerit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad eandem sedem legitime deuoluta aut prepositura ipsa dispositioni apostolice specialiter reseruata existat dictusque Otto Electus uel persona huiusmodi sedis predicte capellanus, nuncius, notarius uel alius officialis aut fructuum et prouentuum camere apostolice debitorum Collector uel succollector fuerit, eidem Johanni cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate nostra conferas et assignes, Inducens per te uel alium seu alios eundem Johannem uel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prepositure iuriumque et pertinenciarum predicta-

rum et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens ipsum Johannem uel dictum procuratorem pro eo ad eandem preposituram ut est moris admitti sibi que de ipsius prepositure fructibus, iuribus & obuencionibus uniuersis integre responderi, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Aut si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de dignitatibus, personatibus uel officiis in dicta ecclesia speciales aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis uel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibitionem, reservacionem et decretum quomodolibet sit processum, illis omnibus eundem Johannem in assecucione dicte prepositure uolumus anteferre, sed nullum per hoc eis quoad assecucionem dignitatum, personatum uel officiorum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari. Seu si Episcopo Havelbergensi pro tempore existenti et dilectis Capitulo dicte ecclesie uel quibusuis aliis communiter uel diuisim a predicta sit sede indultum, quod ad recepcionem uel prouisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi uel excommunicari non possint, quodque de dignitatibus, personatibus uel officiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, prouisionem, presentacionem, electionem seu quamuis aliam disposicionem coniunctim uel separatim spectantibus nulli ualeat prouideri per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mencionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali uel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam uel totaliter non infertam effectus earum impediri ualeat quomodolibet uel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis. Nos enim si dictus Johannes ad hoc repertus fuerit ydoneus ut prefertur exnunc perinde irritum decernimus et inane, si secus super hijs a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter contigerit attemptari ac si die dati presentium eidem Johanni ad hoc reperto ydoneo de dicta prepositura cum ut prefertur uacaret cum interposicione decreti prouideri mandauissemus. Datum Rome apud Sanctum petrum id. Aprilis Pontificatus nostri anno duodecimo.

Nach dem Original, woran die Bulle festh.

#### XIV. Stiftung eines Altars in der neu errichteten Kapelle in der Stadt Havelberg v. J. 1397.

In nomine domini Amen. Johannes dei gracia episcopus ecclesie havelbergensis Vniuersis & singulis cristi fidelibus, Ad quos presentes peruenerunt, Salutem & sinceram in domino caritatem. Quoniam ea, que ad laudem dei & eius cultus augmentum prouide facta noscimus, ut firma et stabilia permaneant, nostre pontificalis auctoritatis expedit presidio communiti. Ideoque tam presentis quam futuri temporis hominibus cupimus fore notum, quod discretus vir thidericus kremer et elysabecht eius vxor legitima ad amplificandum diuini officii cultum altare in honore sancti spiritus & beati andree apostoli intra capellam, que adhuc de nouo construitur in ciuitate havelberg, apud ualuam, qua transitur versus sandow, de nostra ac honor. virorum gherardi prepositi, conradi prioris et capituli ecclesie nostre antedicte et domini hermanni godeschalk plebani in ciuitate havelberg. voluntate & consensu, construendum, erigendum & consecrandum dotauerunt quatuor marcarum redditibus soluendarum singulis annis altariste altaris supradicti per consules opidi stendal de redditibus fructibus, prouentibus, et obuencionibus opidi prenominati in argento brandeburgensi uel earum estimacione de alia moneta in terra stendal vsualiter ex communiter corrente. Jus uero presentandi ydoneam personam ad dictum altare post mortem arnoldi sapientis, cui idem thidericus & elysabecht dictos redditus in titulum perpe-